



ORDINIS IURIDICI

IN

ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANUS

D. CHRISTOPH. CAROLUS STÜBEL

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE A CONSILIIIS
AULAE NEC NON IUSTITIAE A CURIA PROVINCIALI
VITEBERGENSI ADMINISTRANDAE, CONSISTORII
ECCLESIASTICI, SCABINATUS ET FACULTATIS
IURIDICAE ASSESSOR, IURIS CRIMINALIS
PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

LECTORI BENEVOLO

SALUTEM.

DE
NOTIONE CULPAE EIUSQUE POENA IN IURE
CRIMINALI RECTIUS CONSTITUENDA.

P A R S P R I O R.

Praefatio.

Contra omnem spem et expectationem haec scribendi occasio mihi oblata est hoc tempore, quo et tranquillitas animi ad literarum studia deest, et locus ab interpellatione vacuus; neque adsunt mihi libri mei, quos non capit angustum in perfugio Schmiedebergensi spatium. Vereor igitur, ne hic libellus similimus sit operi, quod tristis artifex aliquis fugatus officina omnibusque fere instrumentis privatus confecerit. Sumsi autem ex jure criminali locum ad hunc diem neque in optimis libris satis purgatum, neque in foro recte tractatum; de culpa et de pu-

niitione delictorum culposorum. Haec enim doctrinae criminalis pars non minus, uti vulgo tractatur, vitiosa est, quam illa dudum nunc abiecta de dolo indirecto.

Primum igitur exponam, qua ratione de culpa vulgo praecipiat in doctrina de imputatione poenali et quibus causis delictorum culposorum punitio in iudiciis superstruatur, deinde, quibus vitiis et contradictionibus in ea praecipienda ratio laboret, ostendam, denique aliam rationem tradere instituum.

SECTIO I.

Vulgaris de culpa praecipienda ratio.

Culpa (*Schuld*) voluntatis definita ratio quaedam dicitur et dolo opponitur. Dolus quidem ponitur in animo laedendi. Delictum dolo factum dicitur, si quis res eas, quibus delictum constat, facere voluit. Culpam autem dicunt voluntatis quaedam definitam rationem sine animo laedendi. Culpa, ut vulgo quidem praecipitur, in eo cernitur, quod ex actione hominis quaedam laesio ejusmodi orta est, quam noluit ille quidem, sed ob naturam actionis suae aut suspicari, aut magis minusve perspicue praevidere potuit. Ad culpam igitur haec fere requirere solent: primum, ut aliquis fecerit quidquam, quod per se, i. e. si nullum inde periculum ortum esset, facere ei licuisset, deinde ut laesio quaedam ex ea actione orta sit, tum ut eam laesionem noluerit, porro ut ea laesio ex legibus naturae cum aliqua probabilitate conjici potuerit adeoque ipsa actio cum periculo quodam conjuncta fuerit, denique ut ille ejus probabilitatis et periculi conscius sibi fuerit.

Sed ut has res, quas ad culpam requirunt, quales dicant, recte intelligatur, haec observanda sunt: Primum quod ad ipsam actionem attinet, fieri etiam potest, ut ex actione per se illicita laesio quaedam oriatur, quae tamen non dolo, sed culpa facta esse recte dicatur. Si quis v. c. fustibus petierit quempiam, tantum

ut hunc probe mulcarent, sed vulnus ei inflixerit lethale, is quidem fecit, quod non licebat facere, et dolo vulneravit hominem, lethale tamen vulnus non dolo, sed culpa tantum inflixit. Noluisset enim occidere hominem. In eiusmodi igitur causis culpa cum dolo coniuncta est. Nam quod voluit laedere quenquam, dolus ei imputatur, sed alterius laesionis, quam noluit, culpam tantum habet, quam olim quidem, ipsi dolo aequiparantes, dolum indirectum vocabant.

Deinde quod ad culpam requirunt, ut ex actione quadam laesio orta sit, id eam ob causam faciunt, quod culpam non actionis dicunt, sed laesionis, quae nisi orta esset, etiam culpa aliqua locum non haberet. Culpa enim laborare dicitur, qui quacunque actione laesionis invitus auctor exstitit. Quodsi igitur laesio nulla actionem sequuta est, omni culpa vacet ille necesse est. Quare in iudiciis tunc de culpa agitur, quum laesio quaedam vere orta fuerit, sin minus, nulla quaestio culpa est. Itaque vulgo actionem eam, ex qua laesio orta est, distinguunt ab ipsa actione, in qua culpa inest. Illam actionem culpaem, (*Handlung der Schuld*) hanc vero delictum culposum (*das verschuldete Verbrechen*) vocant.

Porro quod dicunt, in delicto culposo laesionem ipsam non volente, sed invito auctore factam esse oportere, eo recte distinguunt culpam a dolo indeterminato sive eventuali, cuius is reus est, qui consentit animo suo, ut ex actione sua laesio aliqua, quaecunque ea fuerit, oriatur. Nam qui laesurus quendam actione sua, praeviderat quidem, plures laesiones ex ea oriri posse, sed non curaverat, quae potissimum oritura esset, ad

quaecunque, etiam maximam, paratus, is verissime doli accusatur.

Quarto loco de probabilitate dicendum est laesionis, quae in culpa requiritur. Recte postulant, ut ex ipsius actionis natura rebusque aliis cum ea coniunctis conici potuerit, aliquam laesionem ex ea esse orituram. Nam si nulla eiusmodi probabiliter adfuisset, laesio casu potius, quam culpa orta esset. Eventus, qui fieri quidem potuit, sed quem futurum probabile non erat, actionem non reddit periculosam et illicitam. Haec ipsa ratio inter actionem ejusque eventum intercedens casus dicitur.

Postremo periculi cum actione quadam coniuncti conscium sibi reum fuisse, tam necessario postulatur, ut contra nulla imputatio poenalis habeat locum. Nam quod nesciebat, id neque velle poterat, neque ut fieret consentire, ideoque imputari non potest. Sed porro distinguunt hac loco, an ille, qui vere nescius periculi, laesionis auctor exstitit, tamen ipsum periculum scire potuisset et debuisset. Nam cum jure postuletur, ut in quacunque actione deliberemus, an periculum ea minetur aliis, intelligitur, eum, qui facere id sponte omiserit, ob hanc ipsam omissionem periculum subire, adeo ut haec ipsa ommissio tanquam actio periculosa imputari ei possit. Contra, si quis periculum, cum actione sua coniunctum, ignoravit neque scire potuit, ratio, quae inter actionem et laesionem ex ea ortam intercedit, casus sensu subiectivo vocatur, laesio vero ipsa delictum casuale dicitur.

S E C T I O I I .

*Objectiones contra vulgarem modum praecipendi et decernendi
de causis criminalibus, in quibus culpae locus est.*

Haec vulgaris de culpa praecipendi ratio nobis quidem non uno vitio laborare videtur. Et primum quidem in ipsis latet causis, ex quibus delictorum culposorum punitio in iudiciis derivatur. Hae enim cum illa culpae notione, quam modo explicavimus, arctissime cohaerent. Quoniam culpam non ad actionem periculosam referunt, quam quis volens perfecit, sed ad laesionem, quae ex ea actione, nolente auctore, orta est, hanc ipsam laesionem etiam puniendam esse, non actionem ipsam, arbitrantur. Itaque actiones periculosae, ex quibus nulla laesio nata est, nisi animo laedendi susceptae et pro delicti cujusdam conatu habendae fuerint, non nisi tunc puniuntur, si politicae legibus diserte illis interdictum antea fuerit, aut si in iis ipsis laesio inest, ubi delictum dolo indirecto committi, veteres juris criminalis interpretes sibi persuadebant. Sed sic quis non intelligit, ejusmodi actionum, quae, quum periculosae sint, illicitae haberi debeant, punctionem plerumque ex casu pendere, ita ut, cui fortuna faveat, is actiones periculosissimas impune suscipere possit? Quam ob rem manifestum est, securitatem publicam periclitari per hunc usum fori, quo petulantissimo cuique im-

impune facere licet ea, quae nisi casus juvet, maxima civibus afferre pericula solent.

Sed quam parum sibi constet hic usus fori, multo magis etiam intelligitur, cum perpendimus, laesiones, de quibus in delictis culposis agitur, invito auctore factas esse, et licet eas, suscepta actione, impedire non potuisset, earum culpam tamen in poenam imputari. Ergo punitur aliquis ob laesionem, quam efficere noluit cuiusque invitus auctor exstitit; quod injuria fieri et primis imputationis poenalis principiis repugnare aequae manifestum est.

At nihilo minus usus ille in iudiciis plerumque observatur. Fac igitur venatores duos sclopetum sua glande instructa et intensa aequae imprudenter tractare manibus, sed sclopetum unius aut non expellere glandem, aut explosum ferire neminem, quoniam nemo forte eo loco obvius erat; alterius autem explosa glande hominem, qui obviam veniebat, occidi. Utriusque eadem quidem imprudentia, eadem etiam actio periculosa fuit. Ille nihil magis contulit, ut laederet neminem, quam hic, ut hominem occideret, postquam uterque eandem actionem temere commiserat. Ille tamen aut omni quaestione liberatur, aut admonitione levive mulcta dimittitur, hic autem ad ergastulum damnatur, et quidem, nisi gravis mitigandi poenam causa ei faveat, in quatuor annos! Quod quam male congruum sit, et periculosum securitati publicae, et injustum erga reum, sponte intelligitur. Est enim manifestum, culpam hac indicandi ratione non poni in ipsa periculosa actione, sed in fortuito ejus exitu quocumque, qui cum extra potestatem et arbitrium agentis fuerit, imputari auctori nullo pacto potest. Ergo non puniunt, quod poena

dignum est, actionem periculosam, sed quod omni imputatione vacat, eventum fortuitum, ulciscuntur et dum, petulantium leviumque hominum temeritati impunitatem concedentes, securitatem a periculis in discrimen adducunt, ipsi laedunt et injuste tractant singulos.

Deinde secundum praecepta vulgaria et usum fori poenae magnitudo non tam ex magnitudine periculi cum actione quadam conjuncti pendet, quam ex magnitudine mali, quod ex ea actione ortum est. Exempla ubivis obvia sunt in iudiciis. Quidam cum fistula fumaria accensa, aut lumine imprudenter usus in horreo pleno opus fecerat; incensum quidem stramen atque etiam horreum, sed statim exstinctus ignis, damnum leve tantum factum fuerat. Alius prorsus idem fecerat, nec majori imprudentia; factum incendium et vehemens forte ventus flammis furentes voverat, deerat aqua, fontibus aestu exsiccatis, neque satis frequentes convenerant, qui opem ferrent. Itaque tantum incendium factum erat, quo totus pagus absumeretur. Utrique quaestio illata est. Tandem sententiae feruntur. Ille aliquot hebdomadam carcere punitur, hic in ergastulum ad plures annos mittitur, quaquam hic ad magnum malum non plus, quam ille ad parvum damnum contulerat imprudentia sua! Similes sententiae feruntur, si quis imprudenter sclopeto usus leviter tantum vulneraverit hominem procul stantem, alius autem, non majori imprudentia usus, lethale vulnus obviam currenti inflixerit.

Non poterant autem juris criminalis doctores acuti et liberales non animadvertere, quam injusta et absurda esset ea ratio definiendi poenas eo loco, quo de dolo indirecto agebatur. Quum enim persuasissent sibi, contradicere sibi dolum indirectum

et laesionem dolose factam nolente et invito auctore, doli directi et indirecti distinctionem abjecerunt et accuratius quidem dolum definitum et indefinitum sive determinatum et indeterminatum discernere coeperunt. Si quis actionem quandam eo consilio susceperit, ut laederet quendam, ex ea actione autem major laesio orta fuerit, quam ille efficere voluerat, hodie distinguitur laesio quaesita ab ea laesione, quae non proposita agentis animo fuerat. De laesione per actionem quaesita porro videre solent, an ejusmodi sit, ut major illa laesio, invito agente orta, probabili ratione praevideri potuerit et ipse auctor conscius sibi fuerit, probabilem esse exitum tristiozem. Quodsi constet, actio, quatenus laesio proposita spectatur, dolosa, sed ratione ejus laesionis, quae invito auctore ex ea orta est, simul culposa habetur et duplici ratione punitur. Veluti si quis ictu quendam petierit, ut leviter caput ejus demulceret, sed invitus lethale vulnus ei inflixerit, is duplici ratione peccavit et tam ob levioris laesionis consilium, quam ob homicidium culpa sua commissum poenae reus est. Sed tamen prioris delicti poena a posteriori, quippe graviori, tollitur.

Quodsi vero laesio ea, quam infligere quis voluit, ejusmodi fuerit, ut gravior laesio probabilis non fuerit, aut auctor probabilitatem majoris laesionis, nesciverit, neque scire potuerit, illa tantum laesio, quam efficere voluit, tanquam dolosa, in quaestione ponitur et punitur, gravior autem, tanquam fortuita et casu orta, non imputatur et impunis relinquitur. Sed in corpore delicti exitus tristior non quaesitus est loco levioris, quem ille voluerat.

Jam si quaeratur, cur hodie etiam in casu priori, si mors secuta fuerit contra voluntatem ejus, qui levius tan-

tum vulnus infligere constituerat, poena ordinaria homicidii dolosi non irrogetur? responsio est: quia intellexerunt, exitum quemcumque actionis, qui invito auctore eveniret, tanquam factum voluntarium neque imputari, neque puniri posse. Sed haec ratio latius patet, quam abhibetur. Nam si constat, laesionem ex actione quadam contra voluntatem auctoris ortam esse, ea nullo modo imputari potest. Laesio, quae non imputari tanquam voluntaria potest, prorsus imputari nequit. Imputatio enim poenalis locum plane non habet, nisi si quis sciens volensque delictum commiserit. Ea tantum actio, voluntaria quae laesionem non quaesitam efficit, hac solum lege imputari in poenam potest, si periculosum exitum probabili ratione auctor praeviderit. Quare non mors ex vulnere leviori, quod quis infligere voluit, orta, sed vulneris hujus inflictio, tanquam actio periculosa, punienda est. Quae causa est, cur laesio non voluntaria puniri tanquam dolosa non possit, eadem etiam obstat, quin tanquam culposa puniatur.

Sed hujus inconstantiae in delictis, quae culposa dicuntur, puniendis causa latet etiam in ambiguitate verbi germanici (*Schuld*), quod latius sane patet, quam latinum, quod ei respondere creditur, *culpa*. Nam vocabulum illud (*Schuld*) duplici modo dicitur, partim de quacunque ratione actionis et eventus, qua illa causa est, ut hic factus sit (*Causalverhältniss*), partim de ratione actionis illicitae et poenae, qua illa hac est digna (*Strafbarkeit*). In jure criminali itidem duplici modo vocabulum germanicum (*Schuld*) adhibetur. Primum de eo dicitur, quod quis alicuius rei vel facti auctor, et causa habetur. Hoc sensu denotat rationem alicuius hominis et laesionis sive delicti,

ob quam in illius actione hujus causa posita est. Deinde autem vocabulo germanico *Schuld* etiam eo sensu utuntur, ut denotet eam rationem, qua quis actionis seu laesionis ex ea ortae poenam subire jure cogatur, ita ut idem sit, ac si quis dicatur, poenam meruisse. Culpae (*Schuld*) in utroque sensu opponitur casus (*Zufall*), sub quo ratio intelligitur actionem et laesionem sive delictum intercedens, qua illa aut hujus causa plane non est, aut tanquam causa laesionis agenti in poenam imputari non potest.

Sed has diversas notiones vocabuli illius *Schuld* in doctrina de delictis culposis commiscuerant. Quamquam enim prior tantum ejus significatio convenit laesionibus, quae ex actione contra voluntatem agentis ortae sunt, tamen secundam quoque adhibuerunt in ejusmodi laesionibus designandis. Non potuit hic error fugere diligenter juris criminalis magistros. Qui cum intelligerent, laesionibus, invito auctore ortis, non eo sensu culpam inesse, quo poenam mereri actiones iudicantur, tertiam excogitarunt notionem, qua vocabulum illud *Schuld* quandam voluntatis determinationem designaret. Hinc in doctrina de imputatione poenali et de delictis culposis ad hunc diem occurrit illa notio, quae supra explicata est. Distinguunt quidem *Schuld* sensu latiori et angustiori. Illam dicunt esse in eo, quod imputari cuidam res quaedam potest, ut poena dignus sit (*Zurechnungsfähigkeit, Strafbarkeit*). Hanc in voluntatis determinatione ad actionem periculosam ponunt. Illam *reatum*, hanc *culpam* vocant. Sed haec tertia significatio usui loquendi et germanico, et latino repugnat, quum neque verbum germanicum: *Schuld*, neque latinum: *culpa*, de mera voluntatis designatione

dicatur. Itaque falso utrique dolus (*Vorsatz*) opponitur. Utrumque vocabulum enim, quum rationem quandam actionis et agentis designat, casui (*Zufall*) tantum opponi potest.

Sed haec hactenus. Aliam hujus doctrinae rationem alio tempore exponam. Nunc indicanda est occasio, quae hanc mihi scribendi necessitatem imposuit. Sunt quidem juris utriusque summi honores in

VIRUM CONSULTISSIMUM

GEORG. FRIDERICUM WIESANDUM

futuro primo die Maii conferendi, hoc die, quem non solum Filius Carissimus, sed Ordo noster totaque Academia toto laetique animo simul celebrat. Est enim ille dies, quo ante octoginta annos natus est Candidati Doctissimi pater, honoris causa nominandus, GEORGIVS STEPHANVS WIESANDVS, senex maxime venerandus, Facultatis Juridicae Ordinarius, de hoc ipso collegio singulisque ejus membris optime meritus, Senior totius Academiae Celeberrimus.

Vitam suam Candidatus noster his verbis ipse descripsit:

Natus sum Vitebergae d. XIII. Aug. anno MDCCLXXVII. Parentum longe carissimorum patris, D. Georgii Stephani Wiesandii, Potentissimi Regi Saxoniae a Consiliis Summi Provocationum, Senatus, iuris ecclesiastici Professoris Publici, Facultatis Juridicae Vitebergensis Ordinarii, Consistorii Ecclesiastici Directoris, Curiae Provincialis et Scabinatus Assessoris, atque matris Carolinae Fridericae e gente Nitzschiana, cujus praematuram mortem adhuc vehementer lugemus, vel maxima cura a prima inde pueritia ita institutus sum, ut quidquid in me est, illorum educationi, consiliis et

benevolentiae mente gratissima unice debeam. Nam postquam anno MDCCLXXVIII Vir Praeclarissimus et summe venerandus Ebert, Math. Prof. P. O., Rector tunc Academiae Vitebergensis Magnificus, litterariae hujus reipublicae albo nomen meum benepole intulisset, prima elementa quibus aetas puerilis imbui solet, accepi a magistris fidelissimis, de quibus Viri clarissimi, Michaelis, Drasdo et Beyerus optime de me meriti sunt. Deinde anno MDCCXCI in scholam Roslebiensem abii, atque praeceptorum doctissimorum Strackii, Wilhelmii, Hennickii, Martini et Schüknechtii institutione usus sum. Postea anno MDCCXCIV in Academiam patriam redux factus Praeclarissimo Henrici, Graec. lingu. Prof. P. O. tum Academiae fascis tenente, legibus academicis obsequium promisi. Viros Praeclarissimos Klotschium et Krugium in philosophia, Ebertum in mathesi, Schroeckhium in historia et arte diplomatica, Henrici in antiquitatibus Romanis magistros jam secutus, in jurisprudentia, cui me dedi, mihi contigit esse tam felici, ut Pater longe carissimus in jure Germanico publico et privato, in jure canonico et Saxonico, nec non in arte relatoria, porro Viri Illustres, Klügelius in historia juris et processu, Hommelius in Pandectis, Wernsdorffius in historia juris et processu, Stübélius in jure Saxonico et criminali, Zachariae in jure feudali et Nordheimius in Institutionibus juris Romani et Pandectis me fideliter instituerent, scholis vero disputatoriis et exercitationibus in causis forensibus agendis, Virorum Illustrum Klügelii, Stübélii, Kohlschütteri, Zachariae, Thalwitzeri et Nordheimii per omne fere tempus, quod in Academia peregi, interesset. Sic per quatuor annos in hac litterarum sede versatus anno MDCCXCVIII sub praesidio Patris dilectissimi dissertationem de matrimonio post divortium redintegrando publice defendi, examinibus pro praxi, pro candidatura et rigoroso me subjeci, et anno sequenti veniam causas in judiciis orandi obtinui. Coepi itaque negotia forensia tractare atque nonnullas juris disciplinas in Academia Vitebergensi docere. Causis forensibus vero praecipue operam dare studens anno MDCCC judex provincialis, quem Land-Richter appellant, electus in praefecturam Gommeranensem migravi, atque ibi praxi juridicae deditus, justitiam quoque administravi Ihleburgi, et impetrato venia causas agendi in terris Anhaltinis, Viro Excellentissimo Ime, Praefecto circuli Walter-Nienburgensis,

fautori egregio, amico suavissimo sum adjunctus. Postea ao. MDCCCXI Consul et Syndicus civitatis Barbyensis factus, comitatu Barbyensi anno MDCCCXIII cum regno tum constituto Westphaliae conjuncto, officia praepositi, qui dicitur Canton-Maire, in circulo Barbyensi haud petens sum honoratus. Quo quidem munere, interea quoque a curia provinciali Magdeburgensi in numero advocatorum, quibus causas dicere licebat in foris Regni Westphalici, receptus usque ad annum MDCCCXIII functus, multa benevolentiae documenta Virorum Illustrissimorum et Clarissimorum, praesertim Comitum de Schullenburg-Emden, Praefecti Provinciae Elb-Departement nominatae, et Illust. Frankii, Secretarii Generalis Praefecturae dictae, in me collata gratissimo animo ad cineres usque venerabor. Tum vero Regno Westphalico extincto in Saxoniae patriam dilectam reversus, Lauchstadii sedem fixi sociari mei longe carissimi Runde, fratris Illustrissimi Doctoris juris privati Germanici Goettingensis ejusdem nominis, negotia cum oeconomia terrae cameralis hic sitae conjuncta gerens et causas in foro agens.

Is vero Praenobilissimus Candidatus in examinibus anno jam c1810ccxcviii felicissime superatis eruditionem nobis ita probavit, ut cunctis suffragiis judicatus esset dignissimus, cui summi in utroque jure honores tribuantur et disputationem *de metatis* eleganter scriptam nobis exhibuit, quam magna cum laude etiam defensurus fuisset, nisi in hoc oppidulo, haut ingrato Musarum Vitebergensium receptu, loci opportunitas defuisset. Quare vel sic summo jure honores illos Ordinem Jureconsultorum Vitebergensem in eum illo die solemniter collaturum esse, publice testari volumus.

Schmiedebergae Mense April. c1810cccxv.